Gesta Lyncaeorum +

In nomine Dni Nri IESU CHRISTI. B. Mariæ semper Virginis. S. Joannis Euangelistæ.
S. Catharinæ virginis et martyris etc.

Qui sacro afflati spiritu diuini quippiam in humano præstitere orbe, famam uirtutem
omnium ueluti gloriam posteris de se reliquêre, ad eam uirtutis excellentiæ, homi-
nis animus, et naturalis usque congenita nobis propensio excitare uidetur; altera quippe
tanquam anima tellurem istam uiuendo peruolat dum corruptibili soluta com-
plexu cælicolas petit æternus corporis nostri actus, Præterea non exiguam adfert
ipsum sciendi desiderium uoluptatem. Amabilis perse uirtus est, et excultum bonis
omnibus reddunt animum moribus sapientiæ disciplinæ. Ideoque nulli æquabilior ille
fortunæ est. At non hæc neque illi tantum, nec solus uirtutis amor, aut sciendi
desiderium prius homine. et Christiana religione imbutos ad uirtutis illu-
sium neque mundani quippiam excitabit. Sed ipsemet sacerrimus Dei cultus, et in-
explicabilis creatorem cognoscendi uoluntas, Impulit ea primum statim à uitæ exordio
adhuc puerulum Fredericum Cæsium Monticellorum Marchionem Illustrissimum, eo
profecto feruore et humanis diuinisque scientijs plane mentem uniuersam deuouerit nihilque
intentius quam studiorum in palestra certare gestauerit. Franciscus Stellutus, modestia
morum ac animi serenitate ab ineunte ætate placidissimus, totum se Matheseos stu-
dio ita addixit, ut præter ullam etiam, quæ inflare discentium animo solet arrogantiam
profitendi apud amicos onus susceperit. Erat hic Cæsio ob discendi consuetudinem no-
tus, ac interse nonnunquam, tam de mathematicis quam reliquis etiam scientijs serio disse-
rebant, ut amorê haud exiguum inter utrumque conciliauerit continuatum discen-
di exercitium, in quo etiam ita sensim incaluere ut eiusdem uel paulo prouec-
tioris ætatis eruditos in suam familiaritatem et consuetudinem pellicerent. accede-
bant scientes sponte, fama ea nondum instructi appellabantur. Narrabat unusquisque amicos
et fama, notos doctrina rerum imbutos. Inter hos autem et nominatus fuit Medicinæ doctor
Joannes Heckius, de quo et pluribus antea uicibus apud Cæsium Marchionem rumor haud
uulgaris præcesserat, Is dum maxime percunctaretur ubinam locorum hæreret, Romæ senet
ipsum in carcerem constituisse, homicidio accusatum, ob defensionem tamen, narratum fuit, Ubi pri-
mum Cæsius Marchio officium Heckio suum sponte per Stellutum obtulit, ille et gratiam et bene-
uolentiam generosi principis, per eundem dudum sibi antea notum se maximi facturum et assumpturum
renunciauit, quemadmodum absoluto causæ integro iudicio mox auspicatus est. Erat hic Dauentria Trans-
issulaniæ Inferioris Germaniæ regione oriundus, Hæreticorum iniurijs In Italiam coactus, Studijs
rerum naturalium ab ineunte assuetus ætate. Conuenere inter se multoties. Marchio Stellu-
tus et Heckius, familiari rerum naturalium et matheseos collocutione, donec inualescente
indies sciendi desiderio, ad continuatum aliquem discendi ordinem se probaverunt, Tunc in-
ter se certo diei horas literarijs, et confertationis studiosque statuerunt, Primo omnium Docto-
ri docendi onus imperatum est. incepit ille Metaphysicas et medico scientia difficiliores